Inspecto altare mandavit provideri de Tela ceravata, in reliquijs invenit ad formam.

De Sacristia

Mandavit provideri de Planeta coloris violacei

De Cemeterio

Inventum fuit ad formam.

De Hospitali

Possidet bona descripta in Invent.° allegato in actis p.e p.ma fol. 332 quę administrantur per Rectores, per quos mandavit reddi rationem.

Mandavit reaptari scalam versus Cemeterium

In cubiculo Sacerdotis operiri fenestram tela cerrata

In Cubiculo Infirmorum simili modo operiri fenestram, et cubilia provideri de linteaminibus, et de operimentis laneis sufficientibus

In Cubiculo Mulierum reaptari pavimentum, et provideri de stratis, vulgo Pagliaci

Hospitalario pro custodia Hospitalis, Peregrinorum et ęgrotantium dantur pro stipendio decem Quartę frumenti, quinque Cadi Musti, scortium salis, et decem oboli pro quolibet Infirmo, quę ducit ad Civitatem Castellanam, seu ad Caseram Novam, nec non quęstuationes, quę fiunt dietim in capsula parva in ecclesia ipsius Hospitalis, cum onere manutenendi lampade accensa diebus Dominicis, et festis de precepto et ultra habitationem conceditur usus duorum petiorum terrę prope Hospitale.

Commendavit.

Comendavit Curam, et Charitatem in recipiendis Infantibus proiectis ad effectum illos transmittendi ad Civitatem [illegible] cum eleemosina erga Iuliorum Hospitalario eiusdem Civi pro quolibet ex dictis Infantibus, in onere illos transferendi ad Hospitale Spiritus Sancti de Urbe.

Et renovavit decreta b. m. epi. Alecti, nempè

Quod si apud Infantem fuerit repertum signum Baptismi statim adeant Parochum ut illum baptizet saltem sub Conditione

2º quod accedentibus Infirmis si masculi sint illos non exuat Vestibus Hospitalaria, si foeminae Hospitalarius, sed masculos exuat Hospitalarius, Foeminas vero Hospitalaria sub poena privationis ab Officio.

3º quod non deputentur in Sanctesios, seu Factores, qui sunt Debitores Hospitalis, seu qui nondum rationem reddiderunt de sua administratione, nec alij in officio confirmentur absque expressa licentia episcopi

4º quod non liceat Factori, seu agenti expensas facere ultra [illegible] sine ordine in Scriptis Priorum, et Sanctesiorum, neque pecunias solvere, absque receptura sub poena refectionis de proprio, minusque Sanctesij expensas facere, sicut ordinare valeant ultra [illegible], sine beneplacito epi. in scriptis sub eadem poena.

5º quod non liceat eisdem comodare frumentum Hospitalis alicui Personae exceptis Laboratoribus tenutarum Montis Corvini, Hospitalaria, et Sig. Mag. Cabalonga pro medietate Seminis, sub poena de qua supra alijsque gravioribus arbitrio, etiam afflictivis.

VI quod non augeantur provisiones Medico conducto, et Ludi Magistro sine licentia Epi. in scriptis.

VII quod benignè recipiantur, et tractentur Infirmi, eisq. victus, et Medicinalia subministrentur, et si decesserint morbo naturali, non sepeliantur nisi post lapsum duodecim horarum, si vo. morte improvisa nisi transactis viginti quatuor horis, et expletis per Parochum exequijs iuxta ritum ecclesiae, sub poenis quoad Hospitalarium privationis, et Stipendij unius anni, et quoad Parochum scutorum decem applicandorum do. Hospitali.

VIII quod Infirmi si convaluerint, et pedester incedere nequeant provideantur de equo, usque ad Hospitale Loci viciniorem.

IX quod exceptis Infirmis ut supa. admittantur solummodo Sacerdotes et ij Saeculares, qui verè sunt Peregrini ad exclusionem Birbantium de quibus infra. Sed et veri Peregrini non possint ibidem permanere ultra diem, nisi Vicarius Foraneus ob rationabiles causas eorum moram protrahere iudicaverit.

X quod non recipiantur Mares, et Feminae, nisi constiterit ex legitimis Documentis eos esse coniunctos in po. Consanguinitatis, seu affinitatis gradu, sive Matrimonij vinculo copulati

XI quod Feminae separatae ab Hominibus pernoctent, et earum mansio observetur nocturno tempore, et Clavis permaneat penes Hospitalarium, qui Ianuam aperire nequeat, nisi post Solis ortum sub poena privationis.

XII quod in Mansione vulgò nuncupata il Cagnardo pro Birbantibus, admittantur Birbantes Masculi, et non Feminae per unam solummodo diem, nisi ex rationabilibus Causis aliter Vic.o For.o videbitur.

XIII Demum quod nullatenus recipiantur Meretrices, seu Mercatores, sive Personae consimiles sub poenis de quibus supa. adversus Hospitalarios.